



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Animadversio Prima Circa Spiritualia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

ANIMADVERSIÒ PRIMA

Circa Spiritualia.

MElanchthoni in extremis ingeminanti, væ! quid fiet nobis? *Totus mundus repletur Jesuitis*, cum quidam ex circumstantibus respondisset, eventurum iis, quod Templariis, qui fuerunt, ad tempus floruerunt, & dein perierunt. Ipse in memoranda hæc erupit verba: *Si Jesuita orationi dediti permaneant, & à mulieribus abstineant, perseveraturos ne dubita.* S. P. N. dicere solebat, facilius novam religionem posse condi, quàm veterem, quoad disciplinam collapsam restaurari. Cum autem omnis & Ordinis disciplina collapsa, & privati cujusque lapsus primum in deliberata & grossiora venialia, dein mortalia peccata, & demum Apostasiam: initium (unanimes Ascetarum calculo, teste Lancic.) sumperint, & sumptura sint à neglectu spiritualium, & maximè meditationis matutinae. Teneas constanter pro solido principio, imò te esse in statu & tempore periculoso, si ob neglectas meditationes non angaris amplius, nec timeas inde quid mali eventurum; eò quòd sat superque animum veritatibus æternis imbutum habeas. Ista præfidentia solet à DEO peniri, & sic tristi edoctus experienciâ occinere tibi poteris illud Ps. 21. *Aruit tanquam testa virtus mea; quia oblitus sum comedere panem meum diurnum, sive animæ cibum in meditat.* *Sine quo vivere ea non potest diu.* 2dò, sicut ex

jam dictis clarè patet, quanta & ratione boni communis, & privati cujuslibet incumbat obligatio, Superioribus (*qui pervigilant quasi rationem pro animabus sibi concreditur reddituri*) urgendi, ut statò tempore meditatio ab omnibus observetur; ità & patet, quòd tu, si ingenuum te vis exhibere Societatis filium, singulare solatium illis constanter adferre debeas, tum accuratâ præscripto tempore meditationis observatione; tum non extortâ, sed spontaneâ indicatione defectûs commissi, & simul temporis, quo meditationem habueris, aut habiturus sis; si fortè somnus vel oscitantia, aut etiam superveniens imbecillitas aliqua te horâ meditationis consuetâ impedivit. 3tiò, sive te indies ad id constitutus, sive Superior visitet; eum tanquam Angelum Tutelarem venerare, cui in agone cum intimo animæ tuæ solatio dicere possis: *Visitatio tua custodivit spiritum meum, Job. 10.* eò quòd hoc subsidio unita manserit æternæ prædestinationis catena, quæ per neglectum puncti in spiritualibus præcipui facillè dissolvitur.

§. II.

Observanda pro studiis.

Dicatur præviè oratio: *DEUS, qui corda fidelium S. Spiritûs illustratione Sc.* vel pro varietate: *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis [Confratribus meis, ut æquè ac illi in scientiis vocationi*